

monium, teneatur deinde ex iustitia illud revalidare per verum consensum? Affirmant Palaus... Pont... Concina... Salmat. cum Soto, Trull. et Aversa. Ratio, quia alter jam tradidit corpus per suum consensum, unde, ut servetur æqualitas, tenetur fide consentiens etiam per verum consensum corpus suum tradere. Negant vero probabilius Sanchez... cum Navarr. Angles, Henr. Man. et Arag. item Guttier. Hurt... Ratio, quia cum contractus matrimonii non possit claudicare, quando unus fide consentit, nulla adest traditio alterius et ideo nulla remanet inæqualitas; ille enim, qui verum apposuit consensum, æque liber remanet ac si nullum consensum apposuerit. Omnes tamen conveniunt, teneri fide consentientem revalidare matrimonium per verum consensum, si aliter reparare non possit damna ex illa deceptione alteri illata. » * *Secus si null. damn. sit puellæ obventurum* * n. 887, 1113.

(90. Quantum vero ad modum expressionis consensus attinet, « Certum est apud omnes (paucis exceptis) ad contrahendum valide matrimonium verba non esse necessaria, ut docent D. Thomas... Bellarminus... Sanchez, Nav., Covarr... et alii passim. Probatur ex cap. 23, *De sponsal.*, ubi muti et surdi valide quidem nubunt; et ex cap. unic., § final., *De desponsat. impuber.*, in 6, ubi dicitur, ad matrimonium filiæ sufficere consensum parentum, si ipsa taceat; item ex cap. *Is qui fidem, De sponsal.*, ubi olim sponsalia per copulam in matrimonium transibant. Ex quibus canonibus inferitur, verba non esse necessaria, cum ibi sufficiat ad contrahendum consensus signis tantum expressus et præsumptus. Clarius id probatur ex cap. *Tuæ Fraternitati* 29, *De sponsal.*, ubi ad quæsitum, *utrum ex solis verbis matrimonium contrahatur?* Innocentius III sic respondit: « Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum, sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensus exprimentia de præsentem; nam surdi et muti possunt contrahere matrimonium « per consensum sine verbis. » Ita D. de Ligorio, eod. n. 887.

(91. Ad hunc vero textum decretal. *necessaria sunt, quantum, ad Ecclesiam verba consensus exprimentia* respondet Sanchez « verba esse necessaria quoad Ecclesiam, id est quoad clariorem probationem, vel utilia ad meliorem probationem. » Sic Barbosa *Collect. Doct.*, in 4 *Decretal.*, ad tit. *De sponsal.*, cap. 25, n. 2.

(92. « An autem verba sint necessaria de præcepto? Alii affirmant, ut Aversa Corneio et Rodrig. apud Salmat... et probant ex verbis mox supra relatis, cit. cap. *Tuæ Fraternitati; Necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba.* Et ideo sentiunt, peccare graviter sponsos, qui signis tantum consensum exprimunt, cum possint verbis. Alii autem negant, verba esse de præcepto: ita Pontius.. Pal... Viva. et Diana. Quia, ut aiunt, nullibi patet, tale adesse præceptum. Respondent ad præfatum textum, Pontificem ibi minime

intendisse excludere alia signa consensum exprimentia, et dixisse, necessaria esse verba quantum ad Ecclesiam, non quoad substantiam actus, sed quoad faciliorem conjugii probationem. Et sic sentit etiam Glossa ib., v. *Verba*, dicens: « Non contrahitur sine verbis, vel per aliquod aliud, per quod intelliguntur consentire. » Ac ideo ait Pontius Tridentinum sess. xxiv, cap. 1, nihil aliud requirere, nisi quod *parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto dicat, Ego vos conjungo, etc.* Alii vero probabilius dicunt, verba requiri, sed tantum sub culpa veniali, ita Sanchez... Roncaglia.. et Bossius.. cum con. Fill. led. et Henr. quia alias ageretur contra consuetudinem Ecclesiæ; sed a tali culpa bene excusaret verecundia, aut alia rationabilis causa. » D. de Ligorio, *ibid.* n. 888.

(93. Liceat insuper sequentia addere quoad matrimonium per procuratorem.

Certæ quædam desiderantur conditiones, ut procurator absentis nomine, validum inerat matrimonium, quæ a Lucio nostro recensitæ sunt sub n. 39; *vide ibi.*

(94. Prima conditio est « ut habeat is speciale mandatum ad matrimonium, nec satis est generale ad omnia negotia expressis, aliquibus exigentibus speciale mandatum: sed debet esse nominatum ad matrimonium. Quia licet quando exprimentur aliqui casus speciale mandatum petentes, clausula generalis subsequens extendatur ad alios casus non expressos, exigentes similiter speciale mandatum... at non extenditur ad matrimonium, quia intelligitur de casibus, qui expressis similes fiunt, non autem de longe majoribus, ut est matrimonium... Similiter etiam ad contrahenda sponsalia requiritur mandatum speciale; quia sunt dispositio et via ad matrimonium. » Sanchez, lib. II, disput. 11 *De matrim.*, n. 3. — Porro pro hoc speciali mandato, de quo sermo est, non requiritur scriptura, sed sufficit, si detur ore tenus. Sanchez. cit. disput., n. 14; de Ligorio, *Theol. moral., De matrimonio*, n. 885.

(95. Item requiritur, ut mandatum non sit revocatum (nec etiam mentaliter) a mandante, antequam matrimonium celebretur D. de Ligorio 1, et n. cit.

« Hæc autem procuratoris ad matrimonium revocatio effectum habebit, reddetque illud irritum (nota) quamvis juramentum de procuratore non revocando præmissum sit; revocans enim perjurii reus erit, tenebit tamen revocatio. » Sanchez, *l. cit.*, n. 8. Adverte tamen « quod valebit revocatio procuratoris mere interna quoad *forum conscientie*: licet quoad *externum incumbat revocanti eam testibus probare.* » Sanchez, *ibid.*, num. 9.

(96. Sufficit quoque revocatio tacita mandati, nempe si quis mandatum dederit contrahendi cum una, et postea celebret sponsalia cum altera. Sanchez, eod. n. 10; De Ligorio, *uti supra*, n. cit.

(97. Amplius « Si dum quis mandatum dedit, consensum finxit, tempore tamen,

quo procurator ejus nomine contrahit, habet verum consensum, valet matrimonium, quia cum eo tempore conficiatur, tunc desideratur consensus. Unde quocumque tempore intermedio dissensus sit, nihil refert, dummodo tempore, quo celebratur matrimonium, consensus adsit. » Sanchez, lib. et disputation. cit. n. 13. Sed audiamus quoque in hac re D. de Ligorio, ita disserentem. « Quæritur hic, an qui dederit mandatum sine animo contrahendi, sed ante celebrationem matrimonii mandatum ratificavit tunc valide matrimonium contrahatur? Negant Pal. et Coninck... quia mandatum illud, deficiente animo contrahendi, fuit nullum et ideo non potuit solo consensu reconvalidari, sed oportet, ut denuo consensu expresso constituatur. Sed affirmant Sanchez... Bonac. Roncaglia et Salmat... cum Trul. Ratio, quia procurator ideo valide contrahit, in quantum suis verbis significat voluntatem non jam præteritam, sed præsentem mandantis; sufficit igitur, quod tempore, quo contrahit, adsit voluntas mandantis, ut valeat actus. Hæc videtur probabilior, sed primam non censeo improbabilem. » *De matrim.*, n. 886.

(98. Ulterius « Si procurator mandati fines excedat, nil prorsus valet matrimonium, ut si mandatum detur contrahendi certa dote constituta, et procurator contrahit ea conditione non servata, nihil agit, quia mandatum ad unguem servandum est... et ubi quis limites potestatis sibi tradidit excedit, privatus censendus est... et ratio est, quia cum potestas sit limitata, in eo, quod quis excedit, potestate caret, et est quidem privatus. » Sanchez, *ibi*, n. 17.

(99. « Rogabis, quid si in commissione dicatur, *do tibi facultatem contrahendi matrimonium, servata forma Tridentini*, ut semper dici solet, utrum si, omissis denuntiationibus, contrahat procurator, valeat matrimonium?... Breviter dico, si ex ordinarii dispensatione omittantur, non esse dubium (matrimonium valere): quia forma Tridentina est, præmissis denuntiationibus, nisi *ordinarius dispensaverit.* » Sanchez, eod. n. 18. — « Idem dicendum est si omittantur denuntiationes matrimonii absque dispensatione, licet in mandato expresse dicatur, *do tibi facultatem contrahendi præmissis denuntiationibus.* Quia quoties exprimitur in commissione forma juris communis, non est intentio inducendi novam formam et conditionem, sed est admonitio ut servetur forma juris communis. » Sanchez, cit. lib. II *De matrimonio*, disputation. 11, num. 18.

(100. Item exigitur « ut procurator ostendat mandatum parochi et testibus et coram eis contrahat matrimonium juxta formam Tridentini... In talibus autem nuptiis parochus interrogare debet procuratorem: *Vis in uxorem Luciam nomine. N. N.?* Et feminam: *Vis in maritum Franciscum mediante præsentem suo procuratore?* » D. de Ligorio, *l. et n. c.*

(101. Matrimonium contractum a procu-

ratore post revocationem mandati, quamvis talis revocatio ignorata fuisset, nullum est et invalidum. Textu expresso, cap. 9, *De procurat.*, in 6, nec non ex decreto S. congregat. concilii, in *Eugubina*, 5 Julii 1727, prout exstat in tom. IV *Thesaur. resolution. S. C. conc.*, pag. 15, 16, 50, 51, 80, tenoris sequentis.

« 25 Januarii 1727.

« EUGUBINA, SEU PERUSINA MATRIMONII. Licet regula juris sit, actum valere, qui per procuratorem legitimum adimpletur, licet hic tempore actus gestis fuisset a suo principali revocatus, dummodo revocato ad ejus notitiam non devenisset, juxta textum in cap. ex parte 33, *De rescriptis*, et in Clementina unica *De renuntiatione*: fallit tamen hæc regula in procuratore constituto ad contrahendum matrimonium; cum etenim de ejus essentia sit consensus utriusque contrahentis; si alter ex his mandatum revocavit, matrimonium est nullum, licet revocatio non fuerit delata ad notitiam procuratoris, vel alterius contrahentis, juxta Decretalem Bonifacii VIII, in cap. finali *De procuratoribus* in 6, ibi: « *Sane si procurator, antequam contraxerit a domino fuerit revocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem, licet tam ipse, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent, nullius momenti existit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit.* »

« Ad tramites hujus limitationis contendit Elisabeth de Gherardis, matrimonium a se per procuratorem contractum cum Hieronymo de Raphelibus nullitate laborare, ex quo videlicet, antequam illud contractum fuisset, mandatum a se fuerat revocatum, licet id tunc non fuisset deductum ad notitiam procuratoris.

« E contra Hieronymus se opponit et probare conatur, mandatum revocationis contigisse post matrimonium contractum et revocationem non fuisse spontaneam, sed coactam... »

« Jura circumferuntur, onus erit EE. VV. discernere:

« *An constet de nullitate matrimonii in casu, etc.*

« *DILATA, ET PUELLA CAUTE TRANSPORTE- TUR AD ALIQUOD MONASTERIUM CIVITATIS CASTELLI IN QUO EXPLORETUR EJUS VOLUNTAS EPISCOPO JUXTA INSTRUCTIONEM.* »

« Die 26. Aprilis 1727.

« EUGUBINA, SEU PERUSINA MATRIMONII. Elisabeth de Gherardis matrimonium contractum per procuratorem cum Hieronymo de Raph. promotæque per eam præsentatione, quod illud nullitate laboraret, ex quo, antequam illud contractum fuisset, mandatum a se fuerat revocatum, propositum fuit in congregatione habita die 25 Januarii 1727, sequens dubium: *An constet de nullitate matrimonii in casu, etc.* Rescriptum fuit (uti supra, etc.).

« Quia vero matrimonium per procura-

torem fuerat contractum die 29 Martii 1724, hora duodecima, et puella per actum publicum mandatum revocaverat eadem die, sed uti probabiliter credebatur, post contractum matrimonium, et prætendebatur, quod actus publicus revocationis mandati factus quidem appareret dicta die 29, sed quod consensus pro matrimonio contrahendo fuisset ab ipsa revocatus die 28 uti ex nonnullis testibus habebatur, et Elisabeth examinata die 2 Maii 1724 deposuerat coram vicario generali Perusino, scriptum idcirco fuit episcopo civitatis Castelli, ut delato juramento, puellam interrogaret, primo, an revera consensus revocasset die 28 Martii, secundo, an revocatio fuerit spontanea, vel per metum incussum a patris de Donninis, vel ex subornationibus aliorum, qui cum eis Eugubium accesserunt, et tertio, in qua nunc voluntate persistat, contrahendi videlicet, vel non contrahendi matrimonium cum Hieronymo.

« Supervenerunt acta transmissa ab episcopo civitatis Castelli, ex quibus habetur, puellam interrogatam respondisse, primo, se suam voluntatem revocandi mandatum prolapse die 28 Martii summo mane Petro de Donninis patruo, patri Gasparo de Giglis et moniali Hieronymæ de Bonassoris, eos rogando, ut ad monasterium accedere facerent notarium, ut publicum suæ revocationis fieret instrumentum. Secundo, se die 27 ejusdem mensis consimilem revocationem consensus et mandati procuræ significasse patri Gaspari de Giglis et post ejus discessum a monasterio, moniali Felici Sarzi, cui injunxit, ut suam voluntatem Hieronymo significaret ad effectum, ut se a matrimonio abstineret. Tertio, se hæc omnia fecisse sponte et libere, non autem per metum incussum... nec ex persuasione, seu subornatione... ultimo, se nolle contrahere matrimonium et se in hac voluntate esse, atque fuisse a momento, quo consensus et mandatum procuræ revocavit.

« His stantibus, dignabuntur EE. VV. discernere.

« An constet de nullitate matrimonii in casu, etc.

« DILATA, ET PROPONATUR IN PRIMA IN ULTIMA JUNII, ET PARTES INFORMENT. »

« Die 5 Julii 1727.

« EUGUBINA, SEU PERUSINA MATRIMONII. Proposita fuit hæc causa in congregatione habita die 25 Januarii currentis anni... nec ulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod Elisabeth de Gherardis caute transportaretur ad aliquod monasterium civitatis Castelli, in quo exploraretur ejus voluntas a dictæ civitatis episcopo, juxta instructionem. »

« Transportatio fuit executioni mandata et facta est ab episcopo voluntatis exploratio, juxta instructionem, repositaque causa in congregatione habita die 26 Aprilis currentis anni... nulla fuit capta resolutio, sed

dictum, Dilata etc. et partes informant, cumque hodie causa pro tertia vice proponatur, ex juribus circumferendis dignabuntur EE. VV. discernere.

« An constet de nullitate matrimonii in casu, etc.

« AFFIRMATIVE. »

ARTICULUS II.

Matrimonium quoad debitum conjugale.

SUMMARIUM.

1. Coniux tenetur sub mortali reddere debitum conjugati petenti serio et instanter, quando nulla illud denegandi intervenit justa et rationabilis causa, ad n. 2. — 3. Peccat contra justitiam ex genere suo mortale coniux ille, qui cum tenetur ad reddendum debitum, reddit se notabiliter impotentem immoderatis jejuniis. — 4. Non peccat coniux conjugati debitum semel tantum et obiter, vel implicite petenti, modeste denegando, tergiversando, se excusando, prece, vel suasu avertendo petentem, si id non valde ægre laturus videatur, ad n. 5. — 6. Ad dignoscendum, quod coniux serio debitum conjugale petat, non est necessaria petitio expressa et formalis, sed sufficit tacita, virtualis et interpretativa, quæ habeatur a signis indicantibus seriam voluntatem petendi, ad n. 8. — 9. Dantur plures justæ et rationabiles causæ, quibus intervenientibus, potest licite debitum denegari, ad n. 26. — 27. Assignantur plures justæ causæ, propter quas non possunt conjuges debitum denegare, ad n. 34. — 35. Debitum conjugale licite petitur et redditur, etiamsi mulier sit lactans, vel prægnans, dummodo absit periculum abortus, ad n. 36. — 37. Debitum petere dum mulier est puerpera, per se loquendo non nisi veniale esse solet, et cum menstruata petere et reddere in lege veteri sub pœna capitali prohibebatur, et nunc si non mortale, est ad minus grave veniale, ad n. 39. — 40. Debitum conjugale licite petitur et redditur, etiam non servato debito concumbendi modo, aut situ, dummodo fiat propter aliquam justam et rationabilem causam, alias saltem venialiter peccatur, ad n. 42. — 43. Coniuges, qui mala fide, seu dubii de valore matrimonii contraxerunt, non possunt, stante illo dubio, nec petere, nec reddere debitum: et quid, si unus tantum dubius, aut jam bona fide contracto matrimonio, de valore dubium superveniat: ad n. 50. — 51. Si coniux pro certo cognoscat invaliditatem matrimonii, eo quod indubitanter sciat subesse impedimentum dirimens, quamvis hoc in facie Ecclesiæ probare nequeat, non solum non potest petere, sed nec reddere debitum, ad n. 52. — 53. Coniux, qui, durante matrimonio, contraxit affinitatem cum sua consorte, cognoscendo videlicet carnaliter ejus consanguineam in primo, vel secundo gradu, non potest petere debitum, tenetur tamen reddere, et si cognita esset consanguinea in 3. vel 4. gradu, non privatur jure petendi, ad n. 55. — 56. Coniux voto simplicis castitatis adstrictus non potest licite debitum petere, tenetur tamen reddere.

1. Coniux tenetur sub mortali reddere debitum conjugati petenti serio et instanter, quando nulla illud denegandi intervenit causa justa ac rationabilis. Est communissima; et habetur expresse ex Apostolo, I ad Corinth., cap. vii, v. 3, ibi: *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro*; quia ut v. 4 rationem reddens, subdit Apostolus: *Mulier sui corporis potestatem non habeat, sed vir; similiter autem, et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Et volens Apostolus ostendere, quod hæc obligatio

reddendi debitum urgeat conjuges sub gravi et de justitia, sub v. 5 ejusdem debiti negationem appellat fraudem: *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*. (2. Hinc recte inferunt doctores communiter quod coniux injuste negans debitum alteri conjugi serio et instanter petenti, peccat mortaliter toties quoties. (3. Unde peccat contra justitiam ex genere suo mortaliter coniux ille, qui ad reddendum debitum reddit se notabiliter impotentem immoderatis jejuniis, vigiliis, laboribus et hujusmodi, aut voluntariis pollutionibus, ut communiter tradunt doctores, et signanter Sanchez, lib. ix, disp. 3, n. 3 et 4; S. Antonin., part. iii, tit. 1, cap. 29, § 10; Silvester, verb. *Debitum*, quæst. 1; Paludan., in 4, dist. 32; quæst. 1, art. 2, conclus. 3; Dicastill., disp. 9, dub. 19; Coninch., disp. 34; Laymann, lib. v, tract. 10, p. 3, cap. 1, n. 2; Sporer t. III, part. iv, cap. 2, n. 306.

(4. Notanter autem fuit dictum, petenti serio et instanter, id est tali modo, ut constet, conjugem velle exigere copulam tantquam debitum conjugale; nam non peccat coniux conjugati debitum semel tantum et obiter, vel implicite petenti, modeste denegando, tergiversando, se excusando, prece, vel suasu avertendo petentem, si id non valde ægre laturus videatur. Est communis cum Sanchez et Layman locis citatis. (5. Si tamen cognoscat conjugem tergiversationem talem, seu excusationem aut avertentem prece, vel suasionem valde ægre laturum, et advertat ex privatione debiti conjugalis eum periculo incontinentiæ exponi, tunc pertinaciter negans, seu se excusans aut dissuadens, peccat mortaliter, licet percipiat conjugem non adeo serio et rigoroze tanquam debitum conjugale copulam exigere. Ita etiam communis cum Sanchez et Laymann locis citatis. (6. Ad dignoscendum, quod coniux serio debitum conjugale petat, non est necessaria petitio expressa et formalis, sed sufficit tacita virtualis et interpretativa, quæ habeatur a signis indicantibus seriam voluntatem petendi. Divus Thomas in 4, dist. 32; quæst. unica, art. 2, quæstiuncula prima in corpore; D. Antonius tertia parte, tit. 1, cap. 20, § 7; et alii communiter. (7. Et hoc maxime verificatur in femina, quæ potissimum subditur verecundiæ, et præ rubore non petit expresse, quod anxie petit, et ubi quoquomodo constat de voluntate, parum refert, quod verbis, vel signis indicetur, per textum in l. *De quibus, ff. De legibus*. (8. Et hoc etiam potest interdum verificari in viro, qui sit talis conditionis, ut vel ratione majoris dignitatis in femina, vel naturalis timoris et verecundiæ in ipso, non audeat expresse et verbaliter petere; tunc enim femina tenetur signis saltem sensibilibus et interpretativis exhibere actum conjugalem, cum tam in petendo, quam in reddendo conjuges sint pares, ex cit. *Epist. I ad Corinth.*, c. vii, arg. cap.

Præcepti 19, et c. Apud nos 20; caus. 32, q. 5.

(9. Notanter etiam fuit dictum, quando nulla illud denegandi intervenit justa et rationabilis causa; dantur enim plures et rationabiles causæ, quibus intervenientibus potest licite debitum denegari; *Primo*, coniux innocens potest denegare debitum conjugati adultero, ut colligitur aperte ex c. v et xix *Matthæi*; frangenti enim fidem, fides merito non servatur ex Regul. 75 Juris, in 6; ibi: « Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat. » (10. Si tamen etiam alter coniux esset adulter, negare debitum licite non posset, quia jam injuriæ adulterii sibi invicem compensata essent; cap. *Intelleximus 6, cap. Tua fraternitas 7, De adulteriis*. Ita communis. (11. *Secundo* coniux innocens liberatur ab obligatione reddendi debitum, si alter coniux jure petendi debitum privatus sit ob incestum commissum cum conjugis consanguinea in gradu primo, vel secundo; nam ubi cessat jus petendi, consequenter cessat obligatio reddendi; coniux autem incestuosus, in pœnam criminis, amisit jus petendi debitum; c. *Transmissa 4, cap. Tue fraternitatis 10, De eo qui cognovit consanguinem uxoris suæ, cap. Si quis viduam 20, cap. Qui dormierit 21; cap. Concubuiti 23, caus. 32, quæst. 7. (12. Postquam tamen incestuosus dispensationem super petendo debito impetravit, jus exigendi debitum plene recuperavit; Sanchez lib. ix, disputat. 6, n. 10; Layman. *loc. cit.*, n. 15, et alii passim. (13. *Tertio* coniux innocens potest denegare debitum conjugati, qui sodomiam, vel bestialitatis crimine sese turpiter inquinavit. Si enim ratione adulterii et incestus potest a conjugate innocenti denegari debitum conjugati reo, a fortiori poterit denegari ratione sceleris sodomiam et bestialitatis, cum sodomiticum scelus incestum cum ipsa matre commissum horrore et enormitate superet, ut expresse cavetur ex S. Augustino in c. *Adulterii malum 11, caus. 32, quæst. 7, et qui cum carne bestiam carnem suam divisit, indignus prorsus sit, ut in posterum nunquam cum conjugate fiat una caro; qui enim ob execranda illa scelera igni vivus secundum leges tradendus est, quo pacto fidelis conjugis consortio dignus videri posset? Et colligitur ex cap. *Idololatria 5, caus. 28, quæst. 1; ubi, de mente sancti Augustini declaratur, posse denegari debitum, et fieri separationem a conjugate reo cujuscumque perniciosi et turpis concubitus, ibi: « Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias, non tantum quæ in stupris cum alienis viris aut feminis committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt et perniciose turpiterque corrumpunt, possit sine crimine et vir uxorem dimittere et uxor virum, quia exceptam facit Dominus causam fornicationis, quam fornicationem... generalem et universalem intelligere cogimur.***

(14. *Quarto*, potest coniux denegare debi-